



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXXVIII. De Pœnitentiis & Remissionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

à Jure irregularitatem, & ignorans nullibi ab ea eximitur.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitiis & Remissionibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Pœnitentia, & quid Remissiones.*
2. 3. *Quid involvat Pœnitentia ut Sacramentum, tam ex parte Pœnitentis, quàm ex parte Ministri.*
4. *An & quando detur obligatio confitendi peccata, & qualia.*
5. *Quis possit absolvere à peccatis Reservatis.*
6. *Quanam soleant reservari ab Episcopis.*
7. *Quid requiratur ad Reservationem peccati.*
8. *An ignorans incurrat casum reservatum.*
9. *Papa, regulariter solus, potest concedere Indulgentias, etiam pro Defunctis.*
10. *Qua dicantur Indulgentia Plenaria & non-Plenaria: quid illis superaddat Jubilaum.*

Pœnitentia consideratur tripliciter. 1. prout est virtus specialis, seu detestatio & dolor animi de peccatis, prout hæc sunt offensa DEI, cum proposito melioris vitæ. 2. ut est Sacramentum, si nimirum interno dolori accedat confessio peccatorum coram Sacerdote, & hujus absolutio. 3. prout est Satisfactio, seu opus pœnale, vel sponte susceptum, vel à Confessario injunctum, ad delendam, quæ ordinariè post dimissa quoad culpam peccata remanet, sustinenda in hoc vel altero mundo, pœnam temporalem, ut ali-

aliqua vel satisfiat Justitiæ Divinæ. Quia verò opera pœnalia, quæ vel à Confessariis injunguntur, vel etiam à Judice Ecclesiastico, ubi delictum est publicum & in Judicium deductum, v. g. peregrinatio ad locum pium, jejunia &c. vel sponte suscepta, aut ærumnæ hujus vitæ patienter toleratæ ad placandum DEUM, sæpe non sufficiunt ad delendam pœnam præsertim apud peccatores gravibus peccatis obstrictos, Ecclesia succurrit per *Indulgentias*, quæ in Rubrica vocantur *Remissiones*, scilicet pœnarum temporalium, dimissis quoad culpam & pœnam æternam peccatis residuarum, ex Christi & Sanctorum satisfactionibus, quæ vocantur *Thesaurus Ecclesiæ*, liberaliter applicatis à Summo Pontifice; ideo in hoc titulo agendum est non solum de *Pœnitentia*, ferè tantùm quatenus est Sacramentum (quatenus enim *virtus* est aut *satisfactio*, imò multa etiam, quatenus Sacramentum est, Theologis tum speculativis tum Moralibus, qui ex professo fusè hæc pertractant, discutienda relinquere debemus.) sed etiam de *Indulgentiis*.

- 2 Porro *Sacramentum Pœnitentiæ* est, quo peccata post Baptismum commissa, & cum debito dolore legitimo ministro manifestata, virtute clavium seu Absolutionis Sacramentalis delentur quoad reatum culpæ potissimùm. Proin involvit & requirit sequentia. 1. *materiam remotam*, quæ sunt peccata: si hæc sint mortalia, nunquam confessa, sunt materia *necessaria*, seu necessariò subjicienda clavibus Ecclesiæ, h. e. exponenda in Confessione: si venialia, sunt *sufficiens* ad obtinendam absolutionem, uti & mortalia jam semel confessa. 2. *materiam proximam*, quæ sunt tres actus pœnitentiæ, nimirum

rum dolor de peccatis seu contritio: confessio: & satisfactio. *Contritio* potest esse vel *perfecta*, si nimirum procedat ex motivo amoris DEI offensi, super omnia diligendi & dilecti, atque hæc ordinariè intelligitur nomine *contritionis*: vel *imperfecta*, quæ solet vocari *attritio*, nempe si dolor procedat & fundetur in motivo inferiori, v. g. propter turpitudinem peccatorum, propter gehennam vel pœnas à DEO pro peccatis infligendas, quas peccator metuit, aut propter jacturam cœli, quam fecit. *Confessionem*, quæ debet esse integra & sincera, ita ut omnia prorsus mortalia, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, quoad speciem & numerum fideliter aperienda sint Confessario, nisi moralis saltem impossibilitas excuset. 4. *Satisfactionem*, quæ consistit in executione operis pœnalis seu pœnitentiæ, ut vocamus, à Confessario injunctæ: hæc non est pars essentialis, sed solum *integralis*. 5. *Formam*, seu Absolutionem à peccatis, quæ consistit in verbis illis, *absolve te*, vel *absolve te à peccatis* &c. quæ sacerdos auditis peccatis pronuntiat, & sic autoritate ac nomine Christi peccatorem non merè declarat liberum à peccatis, sed verè etiam liberat, atque confert gratiam sanctificantem, vel primam, si pœnitens attulit mortalia, vel augmentum illius, si priùs jam fuit in statu gratiæ, *ex opere operato*, ut loquuntur, seu ex meritis Christi. 6. *Legitimum ministrum*, qui ex Institutione Christi est solus sacerdos. Trid. s. 14. c. 6. & can. 10. de Pœnit. Sacr. ex illo S. Jo. c. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

3 Ex quibus apparet 1. Sacramentum Pœnitentiæ esse institutum per modum Judicii, in quo Pœnitens & Reus & simul sui *Accusator* est, Sacerdos verò absolvens est *Judex*. 2. Pœnitentem obligari ad distinctam peccatorum gravium confessionem; quomodo enim aliàs Sacerdos scire possit, an & quo modo Reus peccator sit absolvendus, aut ligandus. 3. In Sacerdote tanquam Judice requiri *Jurisdictionem*, seu potestatem absolvendi, quam quidem accipit in ipsa Ordinatione, non tamen illius exercitium, quod primùm consequitur, quando ipsi assignantur subditi, in quos in actu secundo exerceat potestatem in ordine ad absolvendum: quæ jurisdictio potest esse vel *ordinaria*, vel *delegata*, expressè vel tacitè concessa: hanc precedere vel comitari debet *Approbatio*, sive iudicium & testimonium authenticum (ab Episcopo regulariter dandum) de alicujus idoneitate ad excipiendas confessiones: vocatur etiam concessio *Cura animarum*, estque ad licitè ac validè à peccatis mortalibus absolvendos Sæculares, & Moniales, necessaria. Trid. s. 23. c. 15. de ref. & Consp. *Inscrutabilis. Greg. XV.* Quia verò Jurisdictio non solet concedi illimitatè, sed cum quadam restrictione. dum vel Papa vel Episcopus vel alii Superiores Ecclesiastici certos casus & peccata graviora suæ absolutioni reservant extra articulum mortis pœnitentis, dispicere debet Sacerdos Confessorius, quænam peccata sint reservata, à quibus absolute ipsi permissum non sit.

4 Dico I. Datur obligatio de Jure Divino confitendi peccata mortalia post Baptismum commissa in ordine ad obtinendam absolutionem

De Pœnitentiis & Remissionibus. 785

nem Sacramentalem. 2. Quamvis Christus nul-
lum expressè determinaverit tempus. 3. Bene-
tamen determinavit Ecclesia, dum in *c. omnis*
utriusque 12. h. t. & Trid. s. 14. c. 5. & can. 8.
de Pœnitent. Sacram. præcepit, ut omnes fideles
& singuli, postquam ad annos discretionis per-
venerint, peccati vel peccatorum mortalium sibi
consci, saltem semel in anno omnia dicta peccata
fideliter confiteantur, & validè, proprio sacerdo-
ti, scilicet Parocho, vel Episcopo, vel Pâpæ, aut
horum delegato, aut privilegium confessiones
quorumcunque & quovis tempore audiendi ha-
benti, uti habent Religiosi, saltem Mendicantes.
Siquis autem culpabiliter omitteret, vivus ab in-
gressu Ecclesiæ arcendus, mortuus autem sepul-
turâ sacrâ privandus esset. Prima duo membra,
sicut tenent omnes Catholici, ita sumuntur ex *cit.*
c. 20. Jo. Tertium verò totidem ferè verbis est
decisum in *c. 12. & Trid. cit.* Quòd autem vali-
da debeat esse confessio, specialiter declaravit A-
lex VII. damnans hanc propositionem: *qui facit*
confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto
Ecclesiæ, sicut Innoc. XI. damnavit hanc: præ-
cepto Communionis annua satisfacit per sacrilegam
Domini manducationem. Imò nec ille reipsa sa-
tisfacit, qui ignoranter confessionem invalidam
facit, sed tenetur, postquam resciverit, veram pe-
ragere, quia actum invalidè fieri, & non fieri, pa-
ria sunt. *arg. l. 30. ff. de Testam tutel.* nec finis,
à Jure Divino intentus, qui est reparatio amicitia
Divinæ, per invalidam Confessionem obtinetur.
De reliquo, licèt Christus non determinaverit
tempus, juxta plerosque tamen omnes urget præ-
ceptum

Pars II.

D d d

ceptum

ceptum Divinum in articulo mortis, seu in probabili vitæ periculo, ut peccati mortalis sibi conscius suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel saltem, si occasio confitendi non superet, in voto, quod consistit in contritione perfecta. Et licet Ecclesia determinet singulos annos, non verò certum anni tempus, per accidens tamen ratione Communionis Sacræ, quam præcipit in Paschate peragendam *c. 12. cit.* stringit tempore Paschali, sicut Jus Divinum per accidens obligat ad Confessionem Sacramentalem toties, quoties aliquis communicare, vel celebrare Missam debet vel capit. Cæterum consuetudo universim videtur omnes obligare ad confitendum in Paschate, licet peccati mortalis sibi non videantur rei, quia aliter foret occasio & periculum, ne sub prætextu conscientie peccati mortalis omitterent Confessionem, qui tamen tenerentur.

5 Dico 2. A peccatis reservatis licet per se & rectè absolvere possit solus, qui reservavit, vel ejus successor, aut superior, & quibus isti hanc potestatem delégant; quia per reservationem alii ligatur jurisdicção & potestas absolvendi. 2. in articulo tamen mortis cuivis sacerdoti, etiam degradato, hæretico, non approbato &c. id permissum est. *Trid. s. 14. c. 7. de Pœnit.* ubi pro hoc articulo vult cessare omnem reservationem. 3. A casibus autem, Papæ reservatis ab ipso Jure, conceditur Episcopis, ut, si occulti sint & ad forum contentiosum non deducti, possint absolvere suos subditos in foro conscientie. *Trid. s. 24. c. 6. de ref.* item illas personas, quæ ob impedimentum adire nequeunt Pontificem vel ejus delegatum.

Idem

De Pœnitentiis & Remissionibus. 787

Idem conceditur 4. Religiosis Mendicantibus quoad personas non Regulares per speciale privilegium, exceptis tamen casibus Bullæ Cœnæ, & quidem solis extra Italiam. *Const. Clem. VIII. de 9. Jun. 1601. & Const. Urbani VIII. 17. Nov. 1628.* imò, ut observat Gobat, etiam concessum videtur iisdem Religiosis absolvere à casibus Bullæ Cœnæ *in casu necessitatis & impedimenti*, quia Urbanus VIII. in sua *Constit.* omisit verba, *in nullo casu, etiam necessitatis & impedimenti &c.* quæ Clemens VIII. prædecessor posuerat. 5. A casibus tamen Episcopo reservatis nec Religiosi Mendicantes absolvere possunt, nisi Episcopus id ipsis indulgeat. Sic enim sentire nos jubet Alex. VII. qui damnavit hanc propositionem: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id eorum facultate*; quam tamen facultatem iis sæpe clementer concedunt Episcopi, saltem in Germania.

Quæres, quinam sint casus Episcopales? R. 6
Nulli quidem sunt de Jure Communi, nisi fortè excipias levem Clerici percussionem, mortaliter tamen peccaminosam; solent tamen sibi reservare aliquos specialiter, v. g. homicidium voluntarium, crimen incendiariorum, sacrilegium, per effractionem & exspoliationem loci sacri, vel per voluntariam humani sanguinis aut seminis effusionem in eo factam, commissum, perjurium & falsum testimonium in Judicio, falsificationem litterarum, violentam manûs injectionem in parentes, sortilegium seu Magiæ exercitium, peccata irregularitatem sibi annexam habentia, adulterium notorium, aliâque carnis delicta enormia &

publicè scandalosa. Sed diligenter inspicienda sunt Ritualia cujuslibet Diœcesis; alicubi enim plura, alibi pauciora, alicubi etiam alia à recensitis distincta sibi reservant Episcopi, qui tamen cavere debent, ne nimis multa peccata sibi reservent; id enim potius in destructionem cederet, quàm in ædificationem. *Trid. s. 14. cit. c. 7.*

7 Petes, quid requiratur, ut peccatum possit vel soleat reservari? R. sequentia. 1. Ut sit mortale ex objecto suo, & cum plena advertentiâ commissum. 2. Ut sit externum, ita ut actus externus per se sit mortaliter peccaminosus, v. g. si peccatum carnis in actum externum prodiret reservaretur, graviter is provocativus sit ad Venerem oportet, qualis non est aspectus faciei tactus manuum &c. etiam alterius sexûs, licet fiat cum Venerea delectatione interna graviter peccaminosa. 3. Ut sit consummatum in genere suo, & eo modo, qui in lege reservante exprimitur. 4. Ut sit admodum grave, seu habens extraordinariam gravitatem, quæ talem rigorem exigat; cum reservatio aliàs nimis accideret difficilis. 5. Ut tale peccatum non sit valde frequens. Gobat *Theol. Exper. tr. 7. n. 355.* cum aliis, Engel *in Man. Paroch. p. 3. c. 2.* ubi in Germania est peccatum hæresis, saltem apud illos, qui in ea nati sunt, & lectionis librorum Hæreticorum in locis, ubi Hæretici vivunt immixti Catholicis. 6. Ut peccatum non sit dubium, vel dubietate *Juris*, ut si dubitetur de Lege reservante, vel *Facti*, ut si dubitetur, an peccatum eo modo sit commissum, prout exigit Lex reservans. Gobat *n. 356.*

De Pœnitentiis & Remissionibus. 789

Dubitabis, an incurrat casum reservatum, qui
invincibiliter ignoravit, suum peccatum esse re-
servatum? R. cum distinctione: si reservatio sit
Pœnalis principaliter, qualis ferè est omnis & illa
tantùm, quæ habet annexam censuram, proba-
bilis non incurrit. Gobat n. 360. cum Sanch.
Lug. & aliis hodie passim: si autem est *Medici-*
nalis, seu principaliter spectans bonum fidelium,
& subditorum, quales ferè sunt reliquæ omnes,
omnino incurrit. Sanch. l. 9. de *Matrim. d. 33. n.*
18. La Croix, & alii hodie communiter; quia
per talem reservationem *absolutè* censetur inferio-
ri sacerdoti adempta potestas absolvendi. Ex
priori parte inferes, à quolibet sacerdote, aliàs
potente à mortalibus absolvere, posse absolvi eum,
qui commisit peccatum à Pontifice reservatum, si
pœnitens ignoravit vel reservationem vel censu-
ram suo peccato annexam, vel ex alio capite à
Censura excusatur; quia Pontifex non solet sibi
reservare peccata, nisi habeant annexam simul
censuram Pontifici reservatam.

Dico 3. Indulgentias quascunque, etiam pro
defunctis, ex plenitudine potestatis suæ potest
Summus Pontifex elargiri, & ii, quibus Papa con-
cedit, at nec validè nec licitè sine justa & ratio-
nabili causa. Constat ex c. *Unigenitus 2. h. t. int.*
Extrav. Comm. & ex illo *Matth. 16.* ubi Christus
ad D. Petrum, ejusque in Apostolica Cathedra suc-
cessores, dixit: *tibi dabo claves Regni cœlorum:*
quodcunque solveris super terram, erit solutum &
in cœlis; item ex praxi & communi sensu Fide-
lium. Dixi autem 1. *Indulgentias*, quæ sunt re-
missio pœnæ temporalis, pro peccatis actualibus

debitæ, ex Thesauro Ecclesiæ desumpta: adeoque per Indulgentias non remittuntur peccata quoad reatum culpæ, sed solum quoad reatum pœnæ post culpam dimissam adhuc residuæ, & vel sustinendæ in Purgatorio, vel delendæ in hac vita per opera pœnitentiæ, aut per ærumnas patienter toleratas. *Thesaurus Ecclesiæ* præcipuè sunt opera Christi quæ satisfactoria, quæ sunt infiniti valoris, dein B. V. & aliorum Sanctorum, quibus ipsi ad satisfaciendum pro suis peccatis non indigerunt, proin est infinitus. *Extrav. cit. Dixi 2. Quasdamque*, plenarias, & non plenarias, personales seu certis personis, reales seu certis rebus, v. g. missivatis, rosariis &c. & locales seu certis locis, v. g. templis, concedi solitas. 3. *Etiã pro defunctis*, non quidem per modum *absolutionis*, ut contingit in Indulgentiis pro vivis, in quos Papa habet jurisdictionem, sed per modum *suffragii* seu *solutionis*, h. e. satisfactiones Christi exhibendæ Divinæ Majestati quasi solutionem pretii, ad precibus, ut eas pro debito pœnæ, à deo adhuc sustinendæ, misericorditer acceptæ dignetur. Nihilominus tamen Indulgentiæ pro defunctis concessæ juxta communioem & veterem cum S. Thoma habent effectum infallibilem. 4. *At nec valide &c. sine justa causa*; quia Papa non est dominus, sed solum dispensator thesauri Ecclesiæ & satisfactionum Christi &c. dispensatori enim non est concessum gratias elargiri sine justa causa; id enim esset prodigere. Justa autem causa debet esse specialis, v. g. exaltatio Ecclesiæ, extirpatio hæresum, obtinenda per preces & opera pia &c. pro lucrandis Indulgentiis præscripta, &c.

De Pœnitentiis & Remissionibus. 791

muneratio meritorum in Ecclesiam &c. Nec sufficit generalis illa causa & finalis, scilicet ut liberentur v. g. animæ à pœna aliàs in Purgatorio &c. sustinenda, quæ liberatio est ipse finis Indulgentiarum. *Objic.* Papa validè dispensat in Lege Jejunii, validè absolvit ab excommunicatione, & alias pœnarum remissiones facit, etiam sine justa causa: ergo & Indulgentiæ valebunt sine justa causa concessæ. *R. N. Conf. & parit.* Illas dispensationes, absolutiones, & remissiones facit Pontifex circa rem quasi suam & suæ liberæ dispositioni relictam, ac tanquam dominus: Indulgentias autem concedit solum ut dispensator, applicando satisfactiones Christi, adeoque alienas; non liberæ dispositioni suæ relictas.

Porro Indulgentiæ *Plenariæ* dicuntur, quæ tollunt omnem pœnam temporalem ob peccata quoad culpam dimissa exsolvendam in hac vel altera vita. *Non-plenariæ* autem seu *Partiales*, quæ solum tollunt partem pœnæ, vel *indeterminatam*, v. g. tertiam, aut quartam pœnæ partem, vel *determinatam*, v. g. 20. 40. dierum 7. 10. 100. 1000. annorum: si Indulgentia sit 40. dierum, appellatur *Quadragesima*, qua deletur pœnæ tantum, quantum fuisset exsolutum per jejunium 40. dierum secundum antiquos Canones Pœnitentiales continuatum: vel *Carena*, qua exsolvitur tantum pœnæ, quantum per jejunium in solo pane & aqua per 40. dies continuatum juxta dictos Canones fuisset deletum: si sit Indulgentia 7. annorum, dicitur *Septenna*, per quam remittitur pœna, quæ deleri potuisset per 7. annorum jejunium à dictis Canonibus injunctum. Siquidem

sensus concessionis Indulgentiarum determinatum est, quod per illas tanta poena deleatur, quanta fuisset deleta per opera poenitentiae secundum dictos Canones per illud tempus peracta, per quae longè amplior poena, v. g. per jejunium 7. annis continuatum (consequenter & per Indulgentias 7. annorum) deletur, quàm per 7. annos in Purgatorio deleteretur; cum opera viatoris in gratia constituti sint DEO longè gratiora, quàm in Purgatorio existentis tolerata poena, ob defectum libertatis. Unde est erronea opinio putantium, per Indulgentias 40. 100. dierum, 7. 20. 100. annorum &c. deleri tantum poenae, quantum in Purgatorio per hujusmodi tempus. *Jubilaum* praeter Plenarias Indulgentias hoc habet, quod concedat facultatem eligendi quemcunque Confessorium ex approbatis, ab Episcopo, cui Confessorio indulgetur insuper potestas absolvendi ab omnibus peccatis, censuris, & casibus, aliàs Episcopo, imò & Pontifici (exceptis quandoque casibus *Bulae Cœnae*) reservatis, item licentia commutandi vota; licet excipi soleant vota aliàs reservata, maxime Castitatis perfectæ, & Religionis ingrediendæ.

TITULUS XXIX.

De Sententia Excommunicationis
(Suspensionis, & Interdicti.)

SUMMARIUM.

1. Quid, & quotuplex sit Censura.
2. 3. A quo, & in quem ferri possit.

4. Pro